



PARS TERTIA

De Dispositione Particulari cer-
torum Textuum Bibli-
corum.

CAPUT I.

*De Capitibus & Versiculis in
Bibliis.*

Voluminum sacrorum nulla fuit à principio vel in Capita vel in versus distributio, ideo Elias Levites ex Sententia Rabinorum scribit, totam legem fuisse olim Pasuk unum, sive sententiam unam, in qua omnia cohærebant sine ulla versuum distinctione, referente *Sixto senense in Biblioth. sancta lib. 3. tit. de Partitione.* Quæ causa est quod primis 600. annis post Christum natum S. Patres textus sacros absque mentione capitum & versiculorum suis in Scriptis laudârunt. Sic Augustinus lib. 2. *Retract.* cap. 24. se scripsisse